



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. An euidenter demonstretur dari aliquod ens à se & increatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

commune multis ex vi vnius impositionis, non est de ratione omnium analogorum, sed illorum tantum, quæ per Metaphoram seu translationem dicuntur. Vnde attente considerandum est, illam analogiam translative, seu Metaphoricam, quamvis aliquid habeat in rebus fundamentum, non tamen omnino ex illis oriri, sed ex impositione & vsu hominum. At vero hæc analogia entis omnino fundatur, & oritur ex rebus ipsis, quæ ita sunt subordinatæ, vt necessario ad vnum referantur, quatenus entia sunt; ideoque non potuit nomen entis imponi ad significandum confusum, quod habet esse, quin consequenter habuerit significare multa cum habitudine ad vnum, atque ita fuerit analogum, non per translationem, sed per veram & propriam significationem. Atque hinc etiam expedita relinquitur tertia probatio, in ea enim diminute numerantur analogæ attributionis. Nam præterea, quæ per extrinsecam denominationem dicuntur de secundariis significatis, sunt alia, quæ intrinsecæ & proprie dicuntur de omnibus significatis, quæ proprias habent leges & conditiones diuersas ab aliis analogis, vt satis declaratum est.

DISPUTATIO XXIX.

De Deo primo ente & substantia increata, quatenus ipsum esse ratione naturali cognoscitur.

I. Quamobrem hæc disputatio in hac sede collocatur.

Solens Metaphysicæ doctrinæ tractatores hanc disputationem de Deo in postremum fere locum reicere, imitati Aristotelem, qui lib. 12. suæ Metaphysicæ illam attigit, vbi simul & fere indistincte de Deo, & cæteris intelligentiis disputat. Quem in hoc etiam cæteri secuti sunt. Et ratio fuisse videtur, quia licet Deus ex se sit maxime cognoscibilis, tamen quoad nos minus notus est, quam materiales effectus, per quos à nobis cognoscitur. Quæ ratio cæteris etiam intelligentiis, seruata proportionem, communis erit. Nos vero, quoniam in his disputationibus intendimus ordinem doctrinæ seruare, quo ad fieri possit, prius de increato ente, quam de cæteris in particulari disputamus, quia illud est primum ac præcipuum huius scientiæ obiectum, & ex se omnium dignissimum, cuiusque cognitio magnam lucem asseret, vt cætera entia non solum à posteriori, verum etiam, pro capitu nostro, à priori cognoscere possimus. Et quamvis Deum non in se, sed ex effectibus cognoscamus ratione naturali, propterea nunc loquimur, nihilominus ad instituendam hanc disputationem de Deo, sufficere existimo ea præmississe, quæ in communi de ente, & de prima entis diuisione, & de causis, & effectibus tractauimus. Præsertim cum hæc doctrina, propterea à nobis traditur, supponat ex Philosophia, & nonnulla principia, quæ ad Deum cognoscendum iuuant, & sufficientem notitiam terminorum: quibus vt possumus ad diuinam perfectionem declarandam, saltem quoad significationem, seu quid nominis eorum.

Conuenienter igitur disputatio hæc in hunc locum cadit, in qua breuiter cōplectemur omnia, quæ naturalis Theologia de Deo docet, abstinendo ab his, quæ sola reuelatione habentur aut haberi possunt: quæ eatenus solum attingemus, quatenus necessarium fuerit ad præfigendum terminum, ad quem naturalis ratio peruenire potest. Et quamvis in Deo idem sine esse, & quod quid est, & qualis est, tamen nostro concipiendi modo distincte & ordinate de his differemus.

SECTIO I.

Verum esse quoddam ens increatum ratione Physica vel Metaphysica demonstrari possit.

Dvo insinuantur in hoc titulo: primum, an hoc possit demonstrari secundum, quo medio, Physice an Metaphysice, quæ duo de Deo etiam inquiri possunt, & in re idem est, quæzere ens increatum, & Deum: non tamen maioris claritatis gratia, & ad perficiendam commodius rationem, hæc distinguimus, vt sect. sequenti declarabimus. Circa priorem ergo partem Aliacus infra citandus negauit hoc posse demonstrari, tamen de hac re satis fere dictum est in præcedente disputatione: nam ostendendo variis modis & sub diuersis terminis primam diuisionem entis, in infinitum scilicet vel finitum, creatum, vel increatum, multipliciter offendimus necessarium esse in vniuerso aliquid ens, quod esse habeat esse, vt ab illo possint manare cætera, quæ habent esse receptum. Sit ergo ad hanc priorem partem breuis responsio, demonstrari posse rationem naturalem esse in rerum natura aliquid ens increatum seu non factum. Probatur rationibus ibi factis, quæ inquirendo, & examinando medium huius demonstrationis, amplius declarabuntur & confirmabuntur.

Varie opiniones referuntur.

Circa alteram ergo partem varie sunt opinionēs, vel extreme oppositæ, vel mediæ. Prima est, secundum medium Physico posse demonstrari dari vniuersum ens primum ac per se necessarium. Hanc tenet Commentator 12. Metaphysicæ text. 5. & 1. Physicæ text. vlt. qui generatim loquitur de omnibus substantiis abstractis à materia, quia fortasse existimauit omnes immateriales substantias esse ex se entia necessaria. Fundamentum autem eius est, quia solum ex motu cœli æternò colligi potest, esse aliquam substantiam æternam, & à materia abstractam. Adde quæ illam rationem, quod nulla scientia demonstrat suum subiectum esse, sed supponit illud vt per se notum, vel vt demonstratum in alia scientia: sed Deus, vel substantia immaterialis, pertinent ad obiectum Metaphysicæ: ergo non probatur esse à Metaphysico: cum ergo non sit per se notum, sumitur vt demonstratum à Philosopho.

Secunda opinio extreme contraria est hoc munus pertinere ad Metaphysicum, & non ad Philosophum naturalem. Ita tenet Auicenna lib. 1. suæ Metaphysicæ cap. 1. vbi è contrario concludit, Deum non pertinere ad obiectum Metaphysicæ, quia hæc scientia probat Deum esse idem lib. 8. suæ Metaphysicæ cap. 1. & 3. Idem tenuit Alex. Aphrodis. 12. Metaphysicæ text. 6. & Albertus Mag. 1. Physicæ cap. vlt. & Scotus in 1. quæst. 2. prolog. ad 2. Fundamentum est, quia alias Philosophia esset dignior, quam Metaphysica, & hæc ab illa maxime penderet, si ab illa sumeret notitiam Dei, & substantiarum separatarum, etiam tam ad esse existentiam.

Tertia sententia esse potest hoc munus tā ad Physicum quam ad Metaphysicum pertinere posse diuissim, seu ad vnumquemque eorum in solidum. Hæc sententiam non inuenio expresse in aliquo auctore, posset tamē fundari in Aristotele: ille enim in lib. 8. Physicæ & in 12. Metaphysicæ probauit esse in rebus aliquod principium immobile, & à materia separatum: ergo ad vtramque scientiam id pertinere censuit: & sine dependence vnius ab alia: nam cum Metaphysica sit dignior, non potest in hoc pendere à Physica. Cum autem Physica sit prior ordine generationis, saltem

in nobis non potest etiam in hoc pendere à Metaphysica nam suam demonstrationem complet prius quā Metaphysica acquiratur.

Quarta opinio esse potest, hoc munus pertinere ad vitanā scientiam, non diuīsum, sed coniunctim ita ut neutra possit demonstrationem complere sine confortio alterius: Physica enim inchoat, Metaphysica vero perficit. Ita fere videtur sentire Soncin. libr. 22. Metaphysic. quæst. 1. ubi licet, in prima conclusione asserat proprie pertinere ad Metaphysicum demonstrare substantias separatas esse: statim vero in secunda conclusione subdit omne medium quo hoc demonstratur, aut esse naturale, aut non cōcludere nisi in virtute alicuius medij naturalis. Alio dīstinguit laetellus eodem lib. quæst. 3. dicens demonstrare substantias separatas ut sic, seu in genere esse, pertinere ad Philosophum naturalem: ostendere autem inter eas esse vnam primam quæ est Deus, esse negotium Metaphysici. Et adducit D. Th. 1. cont. Gent. c. 13 dicentem, Aristotelem in 8. Physic. solum ad hoc peruenisse ut probaret in motu celi distinguendum esse motorem à mobili, eumque motorem esse separatim substantialem à cælo: deinde vero in 11. Metaph. ex hoc motore ulterius progressum fuisse ad demonstrandum Deum esse.

Ex his opinionibus existimo secundam esse simplicem veram, & quartam posse ad sanum sensum reuocari: nam prout à suis autorib. asseritur, absolute probari non potest. Nulla autem occurrit conuenientior aut efficacior ratio confirmandi nostram sententiam, quam vsu ipso, & quasi experimēto medij Physici, & Metaphysici, quibus hoc probari solet, & vtriusque efficaciam examinando. Duo ergo tantum occurrunt Physica media quibus vti possumus ad ostendendum substantias separatas vel in genere vel in particulari in primo ente increato.

Expenduntur rationes Physicæ, quibus probatur Deum esse.

Primum medium sumitur ex motu celi, quo vsus est Aristotel. 8. Physic. & illud etiam adhibuit Metaph. text. 26. ubi ex motu celi æterno peruenit ad demonstrandum primum motorem immobilem. Hoc autem medium per se ac præcise sumptum multis modis inuenitur inefficax ad demonstrandum esse in rerum natura aliquam substantiam immaterialem, nedum ad demonstrandum primam & increatam substantiam, & in primis omitto, principium illud, in quo tota illa ostensio fundatur, *Omne quod mouetur, ab alio mouetur*, adhuc non esse satis demonstratum in omni genere motus, vel actionis: nam multa sunt quæ per actum virtualem videntur sese mouere, & reducere ad actum formalem, ut in appetitu seu voluntate videre licet, & in aqua reducēte se ad pristinam frigiditatem: idem ergo accidere potest in motu locali: atque ita dici potest cælum non ab alio, quam à se ipso moueri per formam suā aut aliquam virtutem innatam, ex qua talis motus resultat: sicut motus deorsum resultat in lapide ex intrinseca grauitate. Quo factum est, ut adhuc sit sub iudice lis, an cælum moueatur ab intelligentia nec ne. Quomodo ergo ex principiis tā incertis potest vera demonstratio confici, qua probetur Deum esse?

Deinde ponamus ut verum illud principium, *Omne quod mouetur, ab alio mouetur* (est n. re vera probabilius recte intellectum) & ex consequente ponamus cælum ab alio moueri, quā, quæso, necessaria aut euidēti consecutione inferri potest ex illo principio & motu celi dari substantiam aliquam immaterialem? Aut enim id colligitur ex motu æterno, aut ex motu tantum. Si primum, collectio in primis fit ex falso principio, & ita nulla est demonstratio in re ipsa quicquid Aristoteles senserit.

Responderi potest ex Scoto, & aliis, motum celi de facto quidem non esse æternum, tamen ex se posse esse, nam cum sit circularis, nec principium nec finem ex se habet, ideoq; motorem celi ex se aptum esse moueri motu æterno, & inde optime concludi talem motorem esse substantiam spiritalem. Sed hæc responsio supponit aliquid nō solum incertum, sed etiam minus probabile, nimirum motum celi potuisse esse ab æterno. Nam licet ex sua specifica ratione non postulet certum principium, vel terminū, & ideo potuerit antè quodlibet instans incipere & post quodlibet instans durare, tamen ex generica ratione motus & entis successiui, repugnat illi æterna duratio sine principio, itū quia alias nunquam potuisset pertrāsiri, tum maxime quia omnis creatura ex eternitate existens necessario durare debet per eternitatem in ea dispositione in qua creatā est, non quod in æternum à parte post ita sit necessario duratura: id enim constat non esse necessarium, sed quod à parte ante per durationem infinitam, & sine principio, necessario sit in ea dispositione permansura, siue illa dispositio sit substantiæ, aut existētiæ siue qualitatis aut fitus, vel alterius huiusmodi: quia si res creatur ab æterno in aliqua dispositione, etiā ipsa dispositio ab æterno condita est, ergo etiam ipsa dispositio habet durationem sine principio, talis autē duratio necessario est infinita ex parte alterius extremi: nam si est finita, ita ut claudatur duobus extremis, iā habet principium & finem, & consequenter non est æternum: si vero dicatur illa dispositio solum durasse per vnum instans indiuisibile nostri temporis, hoc multo magis repugnat eternitati, quia multo breuior (si ita loqui licet) est talis duratio, quam quodlibet tempus finitum, imo illa ut sic non est duratio propria, sed initium durationis. Vnde potius inferitur illud instans esse initium extrinsecum motus immediate subsequentis, atque adeo talem motum non esse æternum sed temporalem, quia ergo res non potest creari etiam ab æterno nisi incerta ac determinata dispositione, & in illa necessario permanet per aliquam infinitam durationem, ideo repugnat motum esse æternum, quia per motum incipit res priuari ea dispositione in qua condita est. Quod exemplo in re ipsa de qua agimus, facile illustratur: ponamus cælum solis esse creatum ab æterno, necessarium fuit astrum solis creari in certo ac determinato loco, ponamus ergo fuisse creatum in nostro hemisphærio: necessarium fuisse ut per quandam æternitatem in illo loco, & in nostro hemisphærio duraret ob rationem factam: ergo non potuit cælum illud ex æternitate moueri alias nec per diem integrum aut horam nec per durationem aliquam quæ diei aut horæ posset coexistere, durasset sol in eo loco, in quo creatus est. Propter hanc ergo causam, ut alias omittam, existimo æternitatem repugnare motui, & motum includere repugnantiam cum quadam immutabilitate quam includit æternitas, ideoq; non solum de facto motum non esse æternum, verum neque esse posse: igitur ex motu æterno colligi non potest motor æternus vel immaterialis.

Dices: esto repugnet motui ex parte eius fuisse æternum, nihilominus intelligi potest motor ex se aptus ad mouendum æterne, si ex parte mobilis, aut motus non repugnaret, & hoc satis est ad vim, illationis factā. Hæc autem aptitudo ex parte motoris ex motu celi colligi potest, quia durare potest in æternū, cum neq; habeat contrarium neq; ex se postulet certum tempus, ergo motor quantum in se est, habet vim ad mouendum æterne, ergo perinde id facere posset quantum est ex se à parte ante sicut à parte post, si aliunde ex parte effectus non repugnaret. Item duratio illius motus tam diuturni, & inuariabilis seu vniuersalis, aperte declarat motorem eius sine lassitudine aut defatigatione mouere, & consequenter

quenter quantum est ex se, posse semper ac perpetuo mouere, atque ita esse immaterialem. Sed in primis non recte fit collectio ex æternitate à parte post, ad æternitatem à parte ante. Motus enim in tempore inchoatus, ideo potest in æternum durare, quia motus qui in se ipsa ponitur, semper est infinitus, & tota infinitas quæ in futuro motu apprehenditur, nunquam in se ipsa existit, ita ut aliquando sit verum dicere totam iam existere aut exiitisse, quod secus erit, si ponatur motus ab æterno factus, iam enim tota eius infinitas in rerum natura exiitisset. Unde habere vim ad mouendum semper in futurum, est solum habere vim ad efficiendum motum in infinitum: habere autem vim ad mouendum ab æterno, est habere vim ad efficiendum motum infinitum, quod est valde diuersum, magisque repugnans. Non ergo ex efficacia ad illud prius, recte inferitur potentia etiam ex parte motoris ad hoc posterius: maxime quia ad id quod in se inuoluit repugnantiam, nulla est potentia.

XI. Sed age: demus ob illam probabilem cōiecturam, motorem celi habere vim ad motum æternum efficiendum, vel etiam fingamus ab æterno mouisse cælum eodem modo, & inuariabiliter: quomodo hinc recte inferitur illum motorem esse substantiam immaterialem? Dices, quia non defatigatur mouendo. Sed quid si quis fingat, non esse vnum & eundem motorem, sed plures qui vicissim moueant, & ideo nunquam ita lassari quin prius requiescant, quam necesse sit motum aut interrompere, aut remittere? Quamquam enim hoc figmentum sit, ex solo tamen motu celi, non potest demonstrari esse falsum, nisi enervando illationem & rationem intentam, ut iam declaro. Quamuis enim sit verum, motorem celi non defatigari mouendo: non inde sequitur illum esse immaterialem, sed solum sequitur, & mobile non resistere, nec reagere dum mouetur, & motorem esse æternum: utrumque autem verum esse potest absque immaterialitate motoris: sicut Sol si ab æterno fuisset, non defatigaretur perpetuo illuminando, quia sine resistentia, aut repulsione medium illuminat. Sed ait Soncinas supra ex motu æterno proxime colligi, motorem non esse in potentia, cum sit semper actu mouens, ex Arist. 12. Metaphys. text. 30. ens autem in actu, & nullo modo in potentia immateriale est. Sed, quidquid sit de mente Aristotelis, de qua postea videbimus, illa ratio est valde inefficax, nam solum concludit, eum qui semper actu mouet, non esse in potentia ad mouendum: non tamen quod nullo modo sit in potentia tanquam actus purus, alias etiam angelus mouens perpetuo cælum, esset purus actus. Quod si non recte inferitur esse purum actum, inferri etiam non potest esse substantiam immaterialem, quia, si non obstante actione mouendi perpetuo potest esse in potentia ad alias actiones vel receptiones, eadem ratione dicere quis poterit esse in potentia ad motus, vel qualitates materiales neque ex sola motione æterna ostendi poterit hoc repugnare potius quàm illud. Quod si sit sermo de esse in potentia solum quoad esse substantiale, verum est, mouens æternum non esse sic in potentia, non tamē inde ferretur esse immateriale: nam etiam mobile æternū motu locali non est in potētia, & tamen non inde fit esse immateriale aut incorporeū, ut in cælo constat. Igitur ex æternitate motus, aut ex virtute perpetuo mouendi non potest recte colligi esse substantiam immaterialem quæ mouet.

XII. Atque ex hoc discursu videtur à fortiori inferri multo minus posse id colligi ex motu celi aut temporali, aut absolute sumpto, quia motus æternus aliquid maius est quam motus simpliciter. Sed argumentemur præterea ex propriis: duobus enim modis poni potest cælum moueri ab alio. Vno modo ut ab imprimente internum impetum proxime actionum motus, sicut graue dicitur moueri à generante,

Alio modo ut à proximo mouēte separato, sicut rotam mouetur à manu. Neque enim exitimo hæcenus esse demonstratum, quis horum modorum verior sit, quamuis coniecturis agendo posterius sit probabilior, & quia ille motus non videtur necessarius cælo propter peculiare naturam eius: nam cum ipsum inanimatum sit, & in connaturali loco semper maneat, non est cur propter se motum requiratur, & ideo neque internus impetus actiuus ad talē motum illi debitus est: est ergo motus ille necessarius propter huius mundi conseruationē, gubernationem, & perfectionē: ideoque probabilis est prouenire ab extrinseco motore. Veruntamen, quia hoc non est certum, de utroque membro dicere oportet.

Si ergo ponamus cælum moueri ab alio, priori modo, nihil inde probari potest: nam licet recte inde inferatur, esse aliam substantiam priorem cælo, tamen hoc non tam probatur illo modo, quæ supponitur, nam ille motor celi non aliter dicitur mouere cælum, nisi quia impressit illi internum impetum intrinsecum & connaturale, qui non imprimitur nisi à generante, seu ab autore nature: supponit ergo illa ratio cælum habere autorem, à quo procreatum sit, hoc autem non demonstratur, illo discursu, neque ex solo motu Physico demonstrari potest, sed solum per Metaphysicā mediā, quæ postea videbimus, nam ad motum localem celi nil refert quod cælum sit conditum, vel sit ex se ens necessarium, ergo ex illo motu præcisè non potest demonstrari cælum esse ab alio conditum, sed ad summum potest immediatè inferri esse eas ex se imperfectum, cum sit capax talis motus, & inde poterit viterius colligi non esse eas ex se necessarium, quia tanta imperfectio non coheret cum tali perfectione: tamen hoc iam spectat ad Metaphysicū, ut ex ipsis terminis constat. Igitur ex hoc motu ab alio non potest demonstrari quod sit alia substantia superior cælo, sed potius debet supponi. Multoque minus potest inferri quod substantia immaterialis sit. Si enim quis fingat cælum esse conditum à quadam superiori causa corporea, & materiali, & ab eadem recepisse intrinsecum impetum quo continue mouetur, quo modo posset ex vi solius motus localis & physici de suo errore conuincitur?

Atque hæc ratio procedit, etiam si supponamus cælum moueri ab alio extrinseco, & proprio motore proximo: quid enim habet motus celi, propter quod necessarium sit illum motorem esse immaterialem: aut enim illud est perpetuitas motus seu durabilitas, quæ de se potest perpetuo durare, & hoc non, quia ad illud sufficit similis duratio & perpetuitas in motore, & in virtute eius, quam posset habere, etiam si esset corporeus, sicut cælum ipsum, vel sol illam habet. Vel illud esset inuariabilitas motus, quæ indicat infatigabilem virtutem in motore, & hoc ad summum declarat motorem esse incorruptibilem, ut alia omittā quæ supra tacta sunt: posset autem esse incorruptibilis, etiam si esset corporeus, sicut est cælum ipsum. Vel illud esset conceptus seu ordo motuum celestium cum admirabili proportionē, & vniuersi diffinitate apta & accommodata ad huius mundi subllunaris conseruationem & regimē, & hoc quidem ostendit satis euidenter autorem vniuersi esse intellectualem, & summa sapiētia omnia constituisse & gubernare: non tamē proximum motorem vniuersi celi esse intellectualem, posset enim quis fingere vnicuique cælo datum esse proportionatum motorem agentem per modum nature, & ex pluribus motoribus diuersarum virtutum consurgere illum ordinem. Deinde licet demus inde colligi aliquo modo motores cælorum esse intellectuales, non tamen incorporeos, nam, licet angeli essent ærei, ut multi posuerunt, posset mouere cælos, neque ex vi solius motus celi potest conuincitur quod ille sit error.

Dicunt

dentem in suo esse & operari: ergo necesse est esse in illis aliquid independens. ergo non potest in illo progressu in infinitum procedi, sed sistendum est in ente improducto, quod etiam in causando sit independens. Primum antecedens est evidens ex dicto principio: *Omne quod producit, ab alio producit*: nam perinde est dicere, omne quod dependet, ab alio dependet: si ergo tota rerum collectio esset dependens, deberet necessario pendere ab alio: id autem est impossibile, quia extra collectionem non est aliud: quod si tota collectio penderet ab aliquo ente intra ipsam comprehenso, etiam illud penderet a se ipso, quod est impossibile: sic ergo impossibile est, totam collectionem eorum esse factam, aut totam collectionem, causarum esse dependentem in agendo, propria dependentia, qua posterior causa pendet a priori.

XXVIII. Dices: Nonne totum compositum pendet a parte? Verbi gratia a forma, & tamen non propterea forma pendet a se ipsa. Responderetur in primis aliud de effectibus, de qua loquimur: nam totum pendere a partibus aliud est, quam componi ex illis: & ideo non est necesse in forma verbi gratia se ipsam componere, sed solum ut suum proprium & intrinsecum esse conferat composito: dependere autem efficienter, est recipere ab alio suum esse, distinctum ab eo quod est in causa, & ideo si aliqua multitudo secundum se totam effectivè pendet, necesse est ut pendeat ab aliquo non comprehenso in illa multitudine, nam si a huiusmodi in illa comprehenso penderet, vel illud penderet a se ipso, vel certe non tota multitudo adæquate & secundum se totam erat dependens. Sunt autem consilio posita illa verba, *adæquate & secundum se totam*, ut excludatur dependentia secundum quid, seu secundum partem, qualis est, v. g. dependentia effectus a causa secunda, ut ignis ab igne genito: dicitur enim totus ignis genitus dependere a generante, quia sine actione eius re vera non fuisset hoc totum: tamen illa dependentia est tantum ratione formæ & unionis eius cum materia, non est tamen adæquata, ac per se primo, seu secundum se totam, quia entitas materiæ per se non pendet ab actione ignis. Cum ergo dicimus, totam collectionem eorum non posse esse dependentem, intelligimus hoc modo, scilicet adæquate, & secundum se totam: nam secundum partem dici potest dependens, quia ablata vna parte, non esset illa collectio formaliter loquendo. Et hoc modo etiam potest collectio ratione vnius partis pendere ab alio in illa comprehenso, ut per se notum est, tamen hoc nihil obstat, quominus in illa collectione detur aliquod ens simpliciter independens, & non factum, quod nos deducere intendimus. At vero, loquendo de collectione eorum secundum se totam, & adæquate dependente, id est, secundum omnia entia, quæ illam quasi componunt, sic impossibile est totam collectionem sic dependentem, pendere ab aliquo in illa inclusio, sed necesse est ut sit extra illam, unde è conuerso sumendo totam collectionem eorum, extra quam nihil sit, impossibile est totam illam esse dependentem, quæ erat propositio assumpta.

XXIX. Deinde probatur prima consequentia, quia, si omne ens diuiniue, seu distributiue sumptum esset dependens & factum, etiam collectio omnium eorum esset dependens & facta, non quidem vna singulari dependentia aut actione, seu collectione omnium dependentiarum aut actionum, quibus omnia entia dependent aut fiunt, non enim alia ratione potest esse dependens aliqua collectio eorum, nisi quia in ea nullum est ens, quod non pendeat: ergo si tota collectio etiam esse non potest esse dependens, ut ostensum est, necesse est esse in illa collectione aliquod ens omnino independens, & non factum. Atque eadem ratio est de toto ordine causarum, quarum vna ab alia pendet in esse, aut efficiere, non enim potest

tota causarum collectio esse dependens, quia extra illam nulla est causa a qua pendeat, ut declaratum est. Neque etiam potest fingi mutua talis dependentia, ita ut in ea circulus detur, ut superiori etiam discursu late probatum est, agimus enim de propria dependentia, qua inferior causa dependet a superiori, ita ut totum illius esse, posse, & agere, in altera nitatur. Igitur necesse est, ut in tota collectione causarum per se ordinarum (quæcunque illæ sint) detur aliqua independens omnino ab alia superiori, quoniam alias tota collectio esset pendens, quod repugnare ostensum est.

Denique hinc probata relinquitur posterior consequentia. Quod enim in causis efficientibus per se subordinatis detur processus in infinitum, dupliciter intelligi potest. Primo, ut ascendendo a causa proxima & particulari ad superiores magis ac magis perfectas seu vniuersales, nunquam sistitur in aliqua, quæ a superiori non pendeat, & in hoc sensu est evidenter impossibilis hic processus, ut discursus proxime factus probat, scilicet quia alias tota series & collectio causarum esset dependens, unde, ad probandum quod intendimus, sufficit, ut in hoc sensu non possit dari processus in infinitum in huiusmodi causis. Et ita procedit ratio Aristotelis. Quod omnes causæ præter ultimam, quæ immediate coniungitur effectui, essent mediæ, & nulla esset prima, quod est impossibile, idem namque est esse causas medias, quod esse dependens. Et æque repugnat omnes distributiue esse dependens, ac totam collectionem esse dependentem (ut recte Scotus ibi notauit) nam tota collectio non potest esse dependens, nisi ratione omnium ac singulorum in illa contentorum. Et in eodem sensu facile potest explicari illa ratio, quod alias nunquam posset ad actionem perueniri, nec posset illa infinita dependentia pertransiri: nam actio primario ac principaliter inchoari debet a causa superiori, a qua inferior pendet, unde impossibile est inferiorem inchoare actionem, nisi influente prius superiori ordine saltem independentiæ, & principalitatis, si autem quælibet causa habet superiorem, & nunquam peruenitur ad supremam, nulla est a qua primo & per se inchoetur actio, erit ergo impossibilis omnis effectio. Vel aliter, si illo modo in infinitum progreditur, fit ut tota series & collectio causarum sit dependens, ergo ab aliqua superiori pendet, ergo ab illa principaliter inchoanda est actio, si ergo talis causa nulla est, nec poterit actio vlla inchoari. Hic ergo sensus, & verus est, & nobis sufficit ad demonstrationem intentam.

XXX. Alio tamen modo excogitari potest progressus in infinitum in causis per se subordinatis intermedijs, ita tamen ut omnes sub aliqua prima, seu prorsus independente contineantur. Probabile est enim, quod inter causam proximam & primam sint aliquæ causæ vniuersales mediæ per se subordinatæ, vel saltem non repugnat ita fieri. Rursus numerus causarum, quæ inter supremam & proximam intercedere possunt, non est omnino fixus & determinatus: præsertim in ordine ad potentiam absolutam Dei: potest enim Deus facere, ut illæ causæ intermediæ sint tres, vel quatuor, vel plures in quocumque numero, licet in infinitum procedatur. Hinc ergo posset aliquis ulterius progredi, & dicere, posse Deum infinitas causas intermedias & per se subordinatas condere, a quibus effectus causæ proximæ pendeat, ut v. g. infinitos coelos, aut angelos, atque hoc modo non esse impossibilem processum in infinitum in causis per se subordinatis sub vna prima. Atque in hoc quidem sensu difficile est probare hunc processum esse impossibilem, maxime ex illa ratione, quod infinitum pertransiri non posset, aut quod non posset inchoari actio. Contra hoc enim recte videtur procedere ratio superius facta, quod sine successione, per simultaneum concursum simul posset actio progredi ab

XXIX.

XXX.

ab omnibus illis causis, maxime inchoante actionem primam, quæ posset omnes alias ad operandum mouere, vel ad diuare, etiam si essent infinitæ. Neque etiam sufficienter ostenditur hoc impossibile, ex eo quod inter duos extremos terminos (quales sūt causa prima & proxima) non videtur esse possibilis progressio in infinitum, aut multitudo infinita causarum, cum finitum sit, quod terminis seu extremis clauditur: hoc enim est verum in magnitudine continua, nō vero in multitudine, præsertim quando extrema sunt diuersarum rationum, & maxime, si alterum illorum infinitum sit: sic enim certum est inter infinitum angelum & Deum posse in infinitum species substantiarum intellectuum multiplicari: vnde si tota collectio illarum specierum fingatur in reposita, esset infinita multitudo contenta inter illa duo extrema: contenta (inquam) non numero, sed perfectione. Sic igitur excogitari posset infinita multitudo causarum per se subordinatarum.

XXXI. Veruntamen quicquid sit de possibilitate huius fictionis, ea nihil obstat demonstrationi intentæ, quia iam illa supponit aliquam primam causam, seu primum ens independentem. Deinde, etiam si ille infinitus causarum concursus esset possibilis, præter omnem rationem fingeretur de facto dari in causis per se subordinatis, quia nec potest ostendi necessarius, neque in rebus potest inueniri aliquod signum aut vestigium talis multitudinis aut influxus infiniti: maxime cum valde probabile sit, ut in superioribus dicebam, non dari causas proprie per se subordinatas, id est, totales in suo ordine, & immediate influentes in singulas actiones, præter propriam seu proximam causam, & primam seu supremam. Denique licet illa multitudo causarum actu infinita ex præcisa ratione causandi forte non possit demonstrari impossibilis, ex ipsa ratione multitudinis actu infinitæ probabilius est esse impossibile. Illud etiam diffutillimum intellectu est, quod in eo casu nulla posset assignari causa creata proxime subordinata Deo, id est, inter quam & Deum nulla perfectior intercedat: & consequenter nulla etiam assignari posset, quæ a solo Deo in agendo penderet. Sed hæc & similia (ut video) instari possunt in rebus seu causis possibilibus: Non est tamen eadem ratio, quia possibilia sicut sunt in potentia tantum, ita esse possunt infinita syncategorematicè, ut aiunt, seu indeterminata: at vero quæ actu sunt facta, debent esse determinata, & ideo impossibile est intelligere causas actu subordinatas sub prima, quin detur in eis aliqua, quæ proxime procedat, aut pendeat à sola prima, & ita non potuerunt inter primam & vltimam esse infinita. Veruntamen hæc nos immergunt in materiam de infinito quæ infinita est, & ideo illa prætereo, ne à proposito diuertamur.

XXXII. Ex his vltius facile constare potest, quid dicendum sit in causis per accidens subordinatis: eadem enim distinctione respondendum est, nam si intelligatur de infinito processu, non contento sub vna causa superiori, independente à talis serie causarum, est plane impossibilis ille progressus in infinitum, quod eadem ratione proportionate applicata ostendi potest, quia si nullus est hominum, qui non pendeat, & factus sit, ergo tota collectio hominum, seu tota species humana pendet & facta est, ergo necesse est ut pendeat & facta sit ab alia causa superiori non contenta intra speciem humanam, ergo etiam si fingatur, seriem hominum procedentium inter se esse infinitam intra suam speciem, nihilominus sumpta tota collectione, necesse est habere causam superiorem. Atque ita progrediendo, vel ab vno indiuiduo ab aliud, vel ab vna specie facta ad aliam factam tandem erit necessario sistendum in re omnino non facta.

XXXIII. Quæ ratio euidentior adhuc est, quando hic processus in causis per accidens est inter indiuidua eius-

dem speciei, nam si vnum indiuiduum tale est, ut ex se non habeat esse, nisi à causa agente illud recipiat, fieri non potest ut aliud indiuiduum eiusdem speciei habeat ex se esse prorsus independentem, & non communicatum ab aliqua causa agente: nam habere esse ex se, vel tantum ab alio, sunt differentie seu modi entis plusquam genere diuersi, nam si ens corruptibile & incorruptibile differunt essentialiter, & genere, teste Arist. 10. Met. multo magis ens factum & non factum, pendens & independentem, nam hoc simpliciter necessarium est, illud vero minime, ut in disput. superiori declaratum est: cum ergo indiuidua eiusdem speciei sint eiusdem essentiae, fieri non potest ut vnum habeat esse receptum, & non aliud, ergo necesse est ut tota species, totaque collectio indiuiduorum habeat esse receptum, ergo ab alio non contento in illa specie, ergo non potest in his indiuiduis ita in infinitum procedi, independentia, seu dimanatione vnus ab alio, sed sistendum necessario est in aliquo non dependente, nec dimanante ab aliquo indiuiduo illius speciei, & consequenter neque à tota specie, quia species non agit nisi per indiuidua. Et tunc procedendum vltius erit de illa superiori causa interrogando, an sit simpliciter independentem, nam si talis est ipsa est illud ens increatum, quod inquirimus, si vero est dependens, vltius inquirendum erit de causa à qua pendet, donec sistatur in causa omnino independente, quia non potest in infinitum procedi, propter rationem datam, quod tota collectio causarum aut rerum non potest esse dependens.

De causis per accidens subordinatis.

AT vero processus in infinitum in causis per accidens subordinatis, manantibus seu dependentibus ab vna superiori causa, iuxta Aristotelis sententiam, non solum non repugnat, verum etiam necessarius est ad perpetuam generationum successionem & durationem, & iuxta multorum Catholicorum sententiam, licet non sit necessarius, nec de facto detur, est tamen possibilis. Quod licet admittamus, nihil obstat nostræ demonstrationi, quia in hoc processu supponitur superior causa, vel simpliciter non facta, vel saltem non tali modo, neque in tali serie generationum contenta, ex qua facile est peruenire ad causam simpliciter non factam, eadem argumentandi forma, ut sæpe dictum, & factum est.

Ego vero (ut hoc obiter dicam, quod alibi tractandum est latius) existimo etiam hoc modo esse impossibile progredi in infinitum, etiam in causis per accidens subordinatis, & ab alia superiori manantibus. Quod ita breuiter declaro in specie humana, & est eadem ratio de reliquis: nam si species humana talis est, ut non potuerit esse in rerum natura, nisi recipiendo illud à superiori causa, v. g. Deo, ergo necesse est, ut in aliquo certo & determinato indiuiduo illud receperit, quod indiuiduum à sola illa causa superiori processerit, & non ab alio indiuiduo illius speciei. Ratio prioris partis huius consequens est, quia actiones sunt circa singularia, & ideo non potest species fieri nisi in aliquo certo & determinato indiuiduo: nam indiuiduum vagum non est perfecte singulare, sed aliqua ex parte est quid commune & confusum. Ratio autem posterioris partis est, quia quādo indiuiduum procedit ab alio indiuiduo eiusdem speciei, illa non est prima effectio talis speciei in rerum natura, quia iam supponitur facta in alio indiuiduo, à quo alterum procedit: ergo in illa emanatione, in qua primo talis species fit in rerum natura, necesse est ut illud indiuiduum in quo fit, nō procedat ab alio indiuiduo eiusdem speciei, sed à sola illa superiori causa, à qua species pendet. Rursus ut daretur talis processus in infinitum, necessarium esset illam speciem productam esse ab æterno, saltem

in illo individuo, quod proxime & immediate maneat à solo Deo, vel causa illa superiori, quia successio generationum non potest esse infinita à parte ante, nisi sic ab æterno, ut per se notum est.

Ex his autem principiis aperte concluditur non posse in infinitum procedi in his causis per accidens subordinatis. Primo quidem, quia quando hoc modo proceditur in infinitum, nunquam potest assignari prima causa in illa ordine, à qua reliquæ dimanaverint, atque in hac serie causarum per accidens subordinatarum necessario pervenitur ad primum hominem v.g. à quo generatio hominum incipit, ad illum, scilicet, qui non ab homine, sed à superiori causa procreatus est.

Secundo, quia ab illo homine, quem fingimus ab æterno à Deo productum, non potuit alius homo ab æterno generari: debuit ergo necessario generari in tempore, & consequenter successio hominum non potest esse infinita, cum in tempore inceperint multiplicari. Consequentia per se nota est, & antecedens probatur, quia non potuit homo productus ab æterno, simul ac creatus est, generare alium, nam generatio humana successione requirit, ipse autem simul & sine successione procreatus esset, nec potuisse aliter ex æternitate produci: ergo necesse est ut homo genitus ab alio homine, etiam ex æternitate existere sit duratione posterior illo. Vel ergo est posterior duratione finita, vel infinita. Primum dici non potest, aliis vel neuter esset ab æterno, quod est contra hypothesein, vel inter æternitatem & tempus esset tantum finita distantia, vel uterque esset æternus, & nihilominus unus anterior alio duratione finita, quæ omnia inuolunt claram & apertam repugnantiam: nam si duratio unius hominis tantum finitè superat durationem alterius, & illa quæ est minor, est finita, etiam altera quæ excedit, est necessario finita, & consequenter non æterna, quia si finito additur finitum, non fit infinitum; sed finitum manet, & terminis clausum: si vero utraque est infinita, impossibile est, quod una excedat alteram ex ea parte quæ infinita est, quia si utraque est infinita, utraque est æterna, utraque sine initio, quomodo ergo una est anterior altera, & excessu finito? Est igitur in omnibus his manifestæ repugnantia, & ideo impossibile est, ut homo creatus ab æterno, non antecedit hominem à se genitum per infinitam durationem, & ideo series generationum ab illo procedentium, nunquam esse potest infinita, & è contrario ascendendo à quolibet homine in tempore genito per omnes progenitores suos, qui sunt causæ per accidens subordinatæ, non potest progredi in infinitum.

Omitem rationem aliam supra tactam, quod res successiva non potest esse æterna: omitto etiam alias quæ fieri solent in materia de æternitate mundi, quæ sunt probabiles, non tamen æque demonstrant: omitto denique responsionem aliquorum qui putant evertere discursum factum, negando in eo casu, in quo generationes hominum essent æternæ, fore necessarium aliquem determinatum hominem esse creatum à Deo ab æterno, vel certe aliquos (quod perinde est) à quo vel à quibus ceteri ducant originem, qui per humanam generationem procreati sunt: hæc enim responsio, & mente concipi non potest, & ex superioribus satis refutata est. Unde intelligi non potest infinitus progressus in humanis generationibus; nunquam deveniendo ad aliquem hominem, qui sit veluti primus parens cæterorum, nisi ponendo speciem humanam non productam à superiori principio, quia si producta est, reuera in aliquo determinato individuo necessario produci debuit, illud autem consequens non solum in fide est erroneum, sed etiam evidenter falsum, ut probatum est. Sic igitur probatum relinquitur (quocunque modo ab effectibus ad causas, & à causis proximis ad remotas, per se vel per accidens subordinatas progrediamur) necessario si-

Tom. II. Metaphys.

stendum esse in aliqua causa non facta vel tali modo si tantum in determinato ordine fiat progressio, vel simpliciter in producta; & quæ absolute sit ens increatum, si assensus fiat simpliciter in toto ordine causarum, vel in toto universo.

Uterius vero colligo ex demonstratione facta XXXIX. huiusmodi ens increatum necessario esse debere substantiam aliquam: nam substantia ex se est prior accidente: semperque accidens in substantia fundatur, unde fieri non potest ut accidens sit primum ens increatum seu non factum, quia quodcumque tale esse fingatur, necessario esse debet in aliqua substantia: ergo multo magis ipsa substantia erit increata, & non facta. Itaque manifeste probatur discursu facto, illud ens quod ex se habet esse sine effectione aut dependentia ab alio, debere esse substantiam, aut vero in tali substantia possit intelligi aliquod accidens, quod consequenter etiam increatum sit, utpote existens in substantia increata, dicemus postea, inquirendo diuina attributa, & similiter postea videbimus, quo modo demonstrari possit hanc substantiam increatam esse immaterialem: nam ex solo discursu hactenus facto, sumpto ex connexionem & subordinationem causarum, non videtur posse immediate colligi illam substantiam increatam, esse omnino immaterialem & incorpoream.

Possit quidem optime ac facile ex dictis inferri hanc primam substantiam non posse esse materialem tanquam compositam ex hac materia rerum generabilium, & corruptibilium: nam omnes res, quæ ex hac materia componuntur, necessario requirunt efficientem causam, quia hæc materia non habet ex se innatam aliquam formam, cum de se sit subiecta mutationi cuiuslibet formæ: unde necessario recipit formam ab aliquo efficiente, quod est causa totius compositi ex tali materia & forma: cum igitur omne huiusmodi compositum factum sit, recte concluditur illud ens quod non habet causam efficientem, non esse compositum ex hac materia: an vero ipsamet materia facta sit, necne, non potest ex solo prædicto concursu definiri. Rursus, an illa substantia increata possit esse materialis, ut constans ex alia materia: vel etiam an possit esse corporea, ut substantia simplex quantitati subiecta, sicut Averroës de celo existimavit: ac denique an cælum ipsum, quod ingenerabile creditur, & incorruptibile, sit substantia facta, necne, non existimo posse ex prædicto solo discursu definiri: sed ulterius progrediendum est, aliis principiis utendo, ut postea videbimus: hactenus ergo solum est demonstratum esse aliquam substantiam increatam, & immaterialem in dicto sensu.

Quid de opinionibus supra relatis sentiendum sit.

TAndem ex dictis constat veritas secundæ opinionis superius relatæ, & consequenter ostensum est, primam & tertiam absolute falsas esse, quantum ad id in quo conveniunt, scilicet, quod per medium pure Physicum possit demonstrari substantia increata aut abstracta ab omnibus rebus materialibus. Quo ad id vero in quo tertiæ cum secundâ convenit, scilicet demonstrationem Metaphysicam per se, esse ad hoc sufficientem, verum dicit: hoc enim est quod ipso usu, & examinatione utriusque medii à nobis est demonstratum. Quarta vero opinio, si intelligat Metaphysicam demonstrationem per se & intrinsece pendere ab aliquo principio, vel medio pure Physico, ut Soncinas & Iauellus sentiunt, falsa etiam est, nam discursus factus nullam dependentiam habet ex Physico medio, ut constat ex dictis. Unde etiam constat repugnantiam inuolueri quod Iauellus ait ad Physicum pertinere demonstrare

C

sub-

substantiam primam esse, ad Metaphysicum vero quid sit. Tum quia Metaphysicus non accipit à Physico suum primum subiectum, tum maxime quia nos non possumus demonstrare Deum esse nisi demonstrando aliquo modo quid sit, ut ex dicendis clarius patebit: demonstrando enim quædam attributa convenire cuidam enti, quod est principium exterorum demonstramus esse Deum: primum autem ex illis attributis, & maxime essenziale est illud quod hætenus demonstrauius, scilicet esse à se, & sine efficientia ab alio, & cætera omnia in tantum ferre demonstrari possunt, in quantum cum hoc connexionem habent, ut videbimus. Unde ad eum maxime pertinet demonstrare quid sit Deus, ad quem pertinet demonstrare esse ens à se, seu per essentiam, & non ab alio, & è conuerso ille proprie demonstrat Deum esse, qui demonstrat esse in rerum natura aliquod ens increatum: non enim possunt hæc munera inter se partiri Physica, & Metaphysica, sed totum hoc negotium Metaphysicæ est. Physica vero (& in hoc sensu esset vera illa quarta sententia, & à secunda non discorderet) parat aliquo modo viam, & disponit ad prædictam demonstrationem faciendam: tum quia ex motu & sensibilibus effectibus ascendimus ad considerandam rationem effectus & causæ secundum se, & ex dependentia in motu, ad dependentiam in esse & origine, per quam ad primum ens increatum peruenimus, tum etiam quia, si non omnino euidente, saltem probabilissimo discursu peruenimus per Physicam viam ad motorem cæli ab eo separatum, ex quo facilis Metaphysicus discursus ad inquirendum non iam primum motorem cæli, sed primum factorem rerum, sumendo proportionalia principia, tanto euidentiore, quanto abstractiora, ut satis declarauimus.

XLII.

Ad fundamenta Commentatoris respondetur, & ad primum, Aristotelem in Physica non satis demonstrasse Deum esse, aut propria attributa Dei ex solo motu Physico, quod partim ostensum est, partim in sequentibus demonstrabitur, sed ibi satis probabiliter ostendit primum motorem immobilem. In secundo autem Metaph. recte docuit & probauit non dari processum in infinitum in causis efficientibus, ex quo principio euidenter concluditur necessarium esse aliquod ens non factum. Ad secundum respondetur, Metaphysicam, cum sit suprema scientia, probare posse suum obiectum esse, maxime cum non de adequato, sed de primario obiecto sit sermo, & demonstratione à posteriori, de quo supra in prima demonstratione dictum est.

SECTIO II.

Vtrum à posteriori demonstrari possit Deum esse, ostendendo vnum tantum esse increatum ens.



Vanquam discursu facto præcedente sectione euidenter probatum sit, non posse omnia entia esse facta, sed aliquod esse non factum: quod vero hoc sit vnum, & non plura, nondum est illa rationatione conclusum. Dicere enim posset aliquis, omne quidem quod factum est, ab alio factum esse, & in hoc progressu sistendum esse in singulis rerum ordinibus in aliquo principio non facto, non tamen in vno & eodem, sed in pluribus pro rerum, & specierum diuersitate, quo modo nonnulli gentium posuerunt diuersarum rerum principia, ut vnum Deum frumenti, alium vini, &c. Ex hæreticis etiam quidam posuerunt vnum principium spirituum, & aliud corporum, vel vnum bonorum rerum, & aliud malorum, quæ summum bonum & malum appellabant, ut Manichæi & similes, iuxta quem falsum

errorem nullum ens etiam si sit increatum esset verus Deus, secundum illud quod per hanc vocem non significare intendimus. Et fortasse in hoc sensu dixit insipiens ille in corde suo, non est Deus, quod tribuit Diagora Cicer. lib. 1. de Natur. Deor. & August. lib. 3. contr. Iul. Petilian. c. 21. Lactan. lib. 1. c. 2. Theod. lib. 3. de curand. affect. Græc. Si autem ostenderimus, hoc ens increatum ac per se necessarium, tantum esse posse vnum numero secundum naturam & essentiam, fiet plane consequens illud esse primam causam cæterorum omnium, quæ sunt vel esse possunt, atque adeo esse Deum, & consequenter esse verum Deum. Quapropter demonstrationes, quæ à Philosophis & Theologis afferri solent ad probandam vnitatem Dei ex infinita perfectione diuinæ naturæ, licet alias sint optimæ, ut postea videbimus, nunc tamen nobis deseruire non possunt, quia supponunt vti iam probatum, esse in rerum natura Deum, hoc est, ens quoddam infinitæ perfectionis in essentia & natura, quod nondum nos probauimus, sed solum esse ens per se necessarium, utpote ex se habens esse.

Et ob hanc fortasse causam non defuerunt etiam ex Catholicis, & Theologis, qui dicerent, non posse demonstrari Deum esse, ut Petrus de Aliaco in 1. q. 3. art. 2. & 3. vbi primum nititur respondere ad demonstrationem, quæ probatur dari aliquod ens à se, & increatum: sed nihil dicit apparetis aut verisimile, cui respondere oporteat. Deinde ait, licet concedatur demonstrari, esse aliquod ens à se, non tamen demonstrari illud esse vnum tantum: & ideo nec demonstrari posse, Deum esse. Imo ait, quod, licet demonstraretur, vel admittatur dari vnum quoddam ens increatum, quod sit prima causa efficiens omnium quæ facta sunt, nihilominus non inferri euidenter illud esse Deum: quia inde non sequitur esse primam causam omnium quæ sunt: quia posset quis dicere, dari plura entia non facta, & inter ea dari aliud ens superius, quod licet non sit efficiens, sit tamen finis alterius entis increati: & eadem ratione fingi posset plura entia increata nullum ordinem causæ inter se habentia, sicut sunt duo angeli, quos aliqui posuerunt entia per se necessaria. Et in hac opinione scilicet non posse demonstrari Deum esse, fuit etiam Rabbi Moyses libro 6. suæ Philosophiæ capite 6. & nonnulli etiam Philosophi, ut meminit D. Thom. 1. contra Gent. cap. 11. & 12. & questione decima de veritate articulo 12.

Alii vero, ex fundamento extreme contrario, dixerunt etiam non posse demonstrari Deum esse, quia id est per se notum. Cuius sententiæ videtur fuisse Anselm. in Proslog. cap. 2. & 3. & libr. contra insipientem. Et insinuat in Commentariis Hieronymo attributis super Iob. cap. 36. circa illa verba: Omnes homines vident Deum: & super Psalm. 95. in ea verba, Corripuit orbem terra, qui non communibatur. Fauct item Damascenus libro 1. de Fide cap. 1. & 3. vbi ait, Dei cognitionem naturaliter esse hominibus infertam, sed hoc à S. Thoma supra, & 1. parte quæstio. 2. art. 1. ita exponitur, quod homini sit naturaliter infertum aliquid, ex quo possit in Dei cognitionem devenire, & eodem modo posset exponi Hieronymus. De Anselmo autem D. Thom. fatetur fuisse illius sententiæ, quem secutus est Abulens. in cap. 6. Exod. quæst. 2. Sed, quod hæc sententia falsa etiam sit, constabit ex discursu sectionis, ut in fine eius adnotabimus.

Resolutio quæstionis.

Dicendum ergo est demonstrari euidenter posse, illud ens, quod est per se necessarium, esse fontem seu causam efficientem rerum cæterarum, ac proinde esse tantum vnum. Atque ita euidenter demonstrari Deum esse. Ut intelligatur hæc assertio & conclusio inter partes eius, oportet supponere quæ